
...smann | v: Fernröhren
...ranz

SIMONIS SIMONIDÆ

HERCVLES
PRODICEVS

AD

THOMAM ZAMOSCIVM
MAGNI IOANNIS F.



ZAMOSCI

Martinus Lenſcius Academ. Typogr.
excudebat. M. DC. II.

PETRVS CIEKLINIVS THOMÆ ZAMOSCIO S. D.

EXcessisse te ex incunabulis, & bonarum disciplinarum doctoribus traditum esse, magna cum voluptate audiui. diem enim hunc, quo id ingressus es, non minus salutarem tibi existimo, quàm natalem ipsum. is enim efficiet, vt vitam quam à natura accepisti, cum honestate transigas: sine qua, nec illa vitalis est, & hominem à pecude vix discernit. Gratulari tibi multis, fortuna tua in excelso posita, & patris tui summa de te cura, non permittit: mihi vt gratuler, atq; adeò gaudeam, ob animum meum vobis deuotissimũ planè debeo. siquidem DEvs ea felicitate me compotiuit, vt tuam diuinã indolem, tanto patri succrescentem videam. Ex more clientum aliquid vsurpauero, qui natales patronorum munusculis solebant exornare: itidem vt natalem hunc tuum litterarium, munere litterario celebrem habeam. Atq; eius ergo adfero ad te, clientis familiæ vestræ Simonis Simonidæ carmen tibi scriptum cohor-

cohortatiunculæ eſt nonnihil. imò iſta ipſa ſunt, quæ tibi nunc ex Xenophonte de Hercule traduntur Latinis numeris incluſa: ſi fortè Græcæ linguæ primordia moleſtiam tibi pariant, vt iſtis Muſarum ſcitamentis detergas. Ea eſt modeſtia Simonides, aut potiùs ita eſt rerum ſuarum parcus promus, vt vix ſperem, iſta vnquam ab illo tibi oblatum iri. in manus meas poſtquam deuenêre, nolui committere, vt tam bello carmine diutiùs careres. Addidi præterea aliud alterius notæ, quod duos ante annos ad te ſcriptũ, ſcio nondum tibi exhibitum eſſe. Ætatulæ tuæ fortunam vide, quæ propè in cunis præconem laudum inuenit. Fruſtrari de te expectationem omnium mortalium non debes. Bene vale. Ex prædio veſtro Zamchano Kal. Octob. Anno M.DC.II.

SIMONIS SIMONIDÆ
HERCVLES PRODICEVS.

AD THOMAM ZAMOSCIVM MAGNI IOANNIS F.

ALcidē mihi Musa refer, nō quantus in Hydrā,
Non quantusq; ierat sternere Geryonem.
ed qualis modò decursis puerilibus annis,
Ætatis primo in limine constiterat.
mberbes quandò iuuenes, custode remoto,
Jam propriis gaudent se regere imperiis.
nq; viam vitæ cursu nituntur anhelo,
Atq; sui præbent non dubium indicium.
Ardua virtutis num se in penetralia mittant.
Num fluxo in vitium se impete præcipitent.
rgò ancepsq́ue sui, trepidusq; errore iuuentæ,
Desertis solus sederat vsque locis.
Multa putans animo, multùm ratione vagatus.
Virtutis ne alta poneret arce gradum.
An vaga multiplici quà se via tramite fundit,
Vaderet ignauas carpere delicias.

Inq;

Inq́; voluptatum miseris se mergeret vndis.
Quà rapidus vortex pectora lenta vorat.
Hæc alternanti, dubiaq́; in mente frementi,
Apparent geminæ, numina magna, Deæ.
Ire simul, visæq́; pari vestigia gressu
Proferre, & iam iam non nimis esse procul.
Altera natiuo formæ præsignis honore,
Et vultu, & toto libera sponte animo.
Mundiciem membris referens, oculisq́; pudorem.
In castigatis conspicienda bonis.
Finxerat & placidos paccata modestia gestus.
Fluxerat inq́; imum candida palla pedem.
Ast aliam tenera nutriuerat arte sagina,
Lacteaq́; in toto corpore mollicies.
Quæsitusq́; ori color, & pigmenta reperta.
Nec facies constans, nec lepor ingenuus.
Sed fallaxq́; nimis candor, fallaxq́; nitebat
In cerusatis purpura fusa genis.
Membrorumq́; modus surgens procerior æquo.
Incessusq́; fluens, perspicuumq́; latus.
Ast oculi nunc huc volucres nunc protinus illuc.
Et vestis nudis facta Cupidinibus.
Quæ mage lasciuæ radiaret lumina formæ.
Et transparentes nequitias faceret.

Tu

Tùm se sollicito lustrabat sedula visu.
Ornatusq; ibat cernere sæpè suos.
nq; alios limis aciem vertebat ocellis.
Ecquis in illam auidus lumina coniiceret.
Non rarò affixam pone aspectabat ad vmbram.
Se se perpendens illius ad modulos.
Postquàm prospectum iuuenis venêre sub ipsum.
Proximiorq; loci constitit esse via.
Non celerare gradum, non immutare tenorem
Diua prior, studio nec trepidare auido.
Euolat interea, & gradientem præterit illam
Altera, sermonisq; occupat officium.
Atq; ait. ô iuuenum fortunatissime, frustrà
Frustrà animum curis conficis ipse tuum.
Frustrà suspensam crucias formidine mentem.
Non opus est vobis consilio ambiguo.
Nec tibi sollicitæ quærenda est orbita vitæ.
Nec labor instandus, nec via dura nimis.
Me tibi si sociam, tibi me si sumis amicam.
Ipsa dabo cursus, ipsa regamq; pedes.
Ipsa ego deducam te inter lætissima tempe,
Inter delicias luxuriemq; loci.
Quicquid iucundum, quicquid formosius vsquã est.
Non pergustatum nil tibi prætereat.

Ast

Aſt quicquid durum, quicquid rigidumq́; ferumq́;
Jmmunem te horum degere conſtituam.
Principiò tibi bellorum non ingruet horror.
Non adimet ſomni munera rauca tuba.
Non rerum nimiò preſſabit pondere moles.
Nil tibi cum curis, nil tibi cum ſtrepitu.
Vnica ſola tibi tantùm dulciſsima cura.
Vt lætus læto cuncta feras genio.
Obſonj ſiue inſignis ſe proferet vſquam
Gloria, prompta gulæ ſeruiet illa tuæ.
Pocula ſeu blandum creſcent ſuperantia nectar.
His cupies menſas exhilarare tuas.
Nec ſolùm inuentis vtebere, lautior ipſe
Jnuenies, quæ te ſumere non pigeat.
Quæq́; oculos ſatiare ſolent, quæq́; ire per aures.
Quiſquis odor narem ſuauius inſinuat.
Gaudia quæq́; manū tangunt, quæq́; omnibus hæren
Membris, peruolitat quiſquis vbiq́; lepor.
Floriferis vt apes in ſaltibus omnia libant.
Sic tu decerpes omnia grata animo.
Te ſibi formoſæ cupient prenſare puellæ.
Perfacilem te illis tu quoq́; nempe dabis.
Te ſibi tuta quies, gremio te ſomnus amico,
Te pluma molli geſtiet accipere.

Atq

Atq; ea ne multo veniant tibi parta labore
Deuita, hoc vnum strenuus aduigilans.
Nec tibi conuellat mentem malus angor habendi.
Nec quæras, vnde hæc suppeditare queant.
Non metus, haud vllo poteris tu tempore egere.
Nec miseras sudans accumulabis opes.
Non mare tentabis ratibus, non vomere terram
Scindes, non fessus corpore, non animo.
Sed quæ alij sine fine parant, sine fine recondunt.
Hæc tua sunt, his tu iure fruare bonis.
Nil sacrum iubeo esse tibi, nihil esse profanum.
Quoslibet apta manus conuolet in loculos.
Et quocunq; penu spes fulserit alma lucelli.
Hanc rape non tardus, cætera lentus age.
Namq; meos ista deuinxi lege sodales.
Quod libitum cuiquam est, vt liceatq; simul.
Liberaq; omnigeni permissa licentia quæstus.
Vtile sit tantùm, turpe nefasq; nihil.
Talia dicentem iamdudùm obtutibus Heros
Aduersis, tacito & lumine peruolitat.
Tandem pauca rogat. quo te Dea semine cretam
Esse rear ! famam nominis ede tui.
Illa sub hæc, paullùm verbis & mente morata.
O iuuenis, non mî nominis vnus honos.

 Ex animo

Ex animo me quiſq; ſuo fingitq; vocatq; .
Sum bona, ſum felix, ſum mala, ſum miſera.
Felicem dicunt ſocij, dicuntq; beatam.
Et præſens numen me mea turba colit.
Infelicem alij dicunt, dicuntq; malignam.
His petor ex odio ſcilicet opprobrijs.
Quiſquis amicus erit, gnauam laudatq; probatq; .
Deminuit famam, quiſquis acerbus erit.
His interuenit dictis tandem altera Diua.
Et tales leni protulit ore ſonos.
Alcida generoſe, etenim iam nomen, & ingens
Fama tua, in noſtris auribus increbuit.
Det veniam, quæcunq; prior properauit adire.
Sermoni noſtro det facilemq; locum.
Et nobis ſtudium eſſe tui curamq; putato.
Et te conuentum me bona cauſa monet.
Ipſa ego te noui, quo ſis genitore profectus.
Noui ego, queîs æuum duxeris in ſtudijs.
Ingenijq; tui patuit mihi libera vena.
Quamq; geras mentem, quoſq; geras animos.
Hinc ſpes conſtantes, hinc mî fiducia de te.
Hinc de te noctes maceror atq; dies.
Si te fortè meis ſocium ſeceſſibus addas.
Seu dux ire viæ, ſeu velis ire comes.

Te fore,

Te fore, qui magnum factis ingentibus orbem,
Te fore, qui cælum, qui maria exuperes.
Nec tibi gestorum cumulo certauerit alter.
Seu tractes pacem, seu fera bella geras.
Ipsa ego te propter longè sublimior ibo.
Audeboq́ astris ferre caput propius.
Cœtibus inq́ virûm maior mea gloria surget.
Tum Diuam me omnes, tum Dominamq́ ferent.
Nec te blandiloquis ductabo garrula verbis.
Nec dabo suadendi mollia principia.
Quam vitam Deus, & simplex natura parauit,
Quam legem rebus, quam faciem imposuit.
Hanc referam, & dempta caligine singula promam.
Singula nuda tibi, singula vera tibi.
Omnia quæ toto visuntur commoda mundo.
Quicquid honestū vsquā, quicquid vbiq́ bonū.
Nil venit inuicto mortalibus absq́ labore.
Cuncta labore cati dantq́ locantq́ Dij.
Sudandum, contendendum, cura alta voranda.
His veniunt magnis dona operæprecijs.
Seu cupies superûm tibi delenire fauorem.
Cura erit, vt superos cum pietate colas.
Viuere seu caris quæres iucundus amicis.
Candida ab officijs crescit amicitia.

Siue voles, vt te populi venerentur & vrbes.
Vrbibus & populis commodus esse velis.
Seu posces, quem mox patria admiretur & Hellas.
Claris in patriam promeritis vigeas.
Frugibus vt tellus, pecore vt sint pascua læta.
Curandum pecus est, estq; colendus ager.
Si tibi bellorum veniat non parua cupido.
Ciues vt serues, hostibus vt noceas.
Durum Martis opus, multa impendenda magistris
Militiæ cura est, multa ferenda animo.
Magnæ artes ediscendæ, nec mitior vsus.
Vsu artes constant, vsus ab arte venit.
Corporis & vires valido firmantur ab vsu.
Præstò vt sint rigidæ mentis ad obsequium.
Et simul algorem, simul & perferre calorem
Sint dociles, labor & quicquid anhelus amat.
Non tulit hortantē impatiens Diua improba plura.
Atq; interpellans feruida verba dedit.
O puer, ô teneræ florem modò nacte iuuentæ.
Sentis, quò sermo te iste proteruus agat!
Saxa inter prærupta, interq; horrentia tesqua.
Quò pes, quò nunquam semita pressa solo.
Non vlla apparent positæ vestigia plantæ.
Tota remota via est, aspera tota via est.

Talia

Talia vix vita conſtant ſolatia vitæ.
Carpenda illa breuis, neue terenda nimis.
Quid iuuat inſano tantùm indulgere labori?
Quod quæras breuiùs, quodq́; habeas meliùs.
Viuas dum viuis, reſeces ſpem, diffluit ætas.
Sis lætus paucis. me duce lætus eris.
Me duce paccata incedes regione viarum.
Me duce fortunæ te in gremium referes.
Tum Virtus. ô te miſeram, nimiumq́; ſupinam.
O falſis luſam ſemper imaginibus.
Tú ne boni quicquã, aut læti, quicquámue venuſti,
Tun' habeas, poſsis dicere quod volupe?
Cùm te omnis fugiat ſolertia, cùm tibi penſi
Sit nihil, & minimum vix moueas digitum.
Ipſa etiam ſe gaudet emi ſudore voluptas.
Ipſa etiam curis paſcitur & ſtudijs.
Quam tu nec voto, iuſtôue cupidine captas.
Nec deſiderio das ſpatium vſq́; ſuo.
Quin fartumq́; facis, plenoq́; abdomine turges.
Et miſera ſenſus ingluuie anticipas.
Menſa tibi ante famem, ante ſitim carcheſia plena.
Et ſaturata voras, & temulenta bibis.
Vtq́; cibi ſurdum poſsint reuocare palatum.
Blandiùs & ſubeat gutturis eſca moras.

Omnia

Omnia vexantur latè fora, turba cocorum
Peruigilat, solum hoc ducitur artis opus.
Nec reperire merum leuior labor, acrius illud,
Mitius hoc, istud lene ciere sitim.
Scilicet hesternum vt fallant noua pocula Bachum,
Dum crudus lento nauseat in stomacho.
Quæritur æstiuas si quis glaciesq; niuesq;
Mons celat, si quo fonte rigescit aqua.
His tu prætepidos infringis nectaris ignes.
Hic illex, ne sis sobria, sæpe monet.
Vtq; suis somnus te suauius implicet alis.
Quo non puluillo, quoue tapete cubas?
Lectulus exstruitur mollissimus, illius oram
Vmbellæ, & circum nimbus opacat hians.
Ipsa etiam fulmenta parant lenire quietem.
Et se sub strati margine subijciunt.
His tu tormentis requiem petis, hæc tibi somnum
Et male tutantur, nec bene conciliant.
Defessis meritum donat natura soporem.
Ut recreet vires, vtq; labore leuet.
Non tibi causa huius tam seria, sed quia nulli
Inuigilas facto, nil agitasq; rei.
Ignauæ vt fallas languentia tædia vitæ,
Sæpius in somnum te sepelire cupis.

Quid

Quid Venerem laudem? Veneris tu præmia noris?
Inuitam quam tu ſollicitas temerè.
Et petis incaſſum torpentia gaudia fruſtra.
Nam vi, nam præcox, nam petis ante diem.
Nil hîc profuerit Circæis artibus vti.
Quæ moderata iuuant, immoderata nocent.
Quærere nec formas, oculos nec paſcere inertes.
Hîc quoq; languentem proijce deſidiam.
Túne gubernatrix, tu ſancta magiſtra iuuentæ?
Tu cui committi libera fræna queant!
Indefeſſa tuos quæ noctibus vris alumnos.
Vris, & in quæuis proſtituis ſcelera.
Mox ſomno abſumis potiorem lucis honorem.
Et ſpolias vitam commodiore die.
Te Pater omnipotens Dijs immortalibus vnam
Addiderat, cœlo tu quoq; iura dabas.
Sed te idem Pater omnipotens eiecit Olympo.
Dixitq; indignam moribus æthereis.
Nec cœtus celebrare hominum tibi tuta poteſtas.
Nec caput in populo vertere conſpicuum.
Te damnare ſenes, te ſpernere turba laborat.
Te vir, te mulier, quæ ſapit, improperat.
Laus tua purgatam nunquam tibi tranſijt aurem.
Vera laude nihil dulcius aure ſonat.

Non

Non opere in proprio satiasti lumina amica.
Nil oculis proprio pulchrius est opere.
Mendacem nouêre omnes, iurata vel olim
Affirmes, surdis dixeris auriculis.
Siue opis indigeas, & te mala damna fatigent.
Clamosisque voces fletibus auxilium.
Nemo impertiri, nemo te tollere curet.
Destituant omnes, despiciantque palàm.
Imprudens si fortè aliquis tua iussa sequatur.
Namque sciens nemo se tibi dediderit.
Qui te, quique tuos mores pernouerit ante.
Nemo adeò præceps, nemo sui hostis erit.
Tu iuuenum florem lustris depasta malignis,
Efficis, vt fracti tabida membra trahant.
Aut miseri ante diem fato rapiantur acerbo.
Aut senij metas protinus inueniant.
Tum vanosque senes videas, deliraque corda,
Fundere tùm cano stultitias capite.
Nam quid agant? quos conuulsit felicior ætas.
Nec labor instruxit, nec bona mens aluit.
Ergò squallentes, fessique, ignauiùs æuum
Nec benè componunt, nec benè conficiunt.
Ingeminat dolor, & labor, & fœdissima vita,
Et pudor intentat turpius opprobrium.

Quæ

Quæ fecêre horrent, & commeminisse verentur.
Occurrunt vultu damna recepta truci.
Nec sarcire malum licet, aut noua condere sæcla.
Serúmq; incipere est, & malè cæpta grauant.
Quod gratum, quod lene fuit, florentibus annis
Permissum, & vires futilis aura tulit.
Ætatem in tardam seruata asperrima rerum.
Et gemit innumeris pressa senecta malis.
Me si fortè roges, quo me duce, quo lare tuter.
Queîs properem factis tempora conterere.
Principiò me læta fouent consortia Diuûm.
Mî cæli semper libera porta patet.
Et terras habitare datum, quacunq; bonorum
Floret honos, venio semper in ora virûm.
Siue quis am sanctos superum molitur honores.
Me sociam primis aduocat auspicijs.
Seu genus humanum factis illustribus ornat.
Nil gestum retur me sine, quisquis agit.
Non est, quod mecum quisquam contendat honore.
Siue apud ille Deos, siue apud ille homines.
Quo studio me cunq; sibi quis poscit amicam.
Adsum, nec renuo fida ministeria.
Me nocturna faber vigilans ad lumina quærit.
Et melius mecum currere sentit opus.

Me cuſtode domum, & ſanctos ſeruante penates,
Florentes natos educat ipſe pater.
Ipſa ego præſideo famulis, operaſq́; repoſco.
Ipſa repoſco operas ſedula, blanda tamen.
Aurea pax terras perfudit diuite cornu.
Pacis ego ſolers carpere diuitias.
Mars venit, & pugnæ latè ſonuêre cruentæ.
Nulla manus bello me prior anteëat.
Prima adſum ſocia arma ferens, me prima periclis
Offero, certa ſimul vincere, certa mori.
Cana fides, niueiq́; meo ſe corde receptant
Senſus, ſola bonis lætor amicitijs.
Neu me nulla putes ſolatia cedere ventri.
Accipe, quàm menſæ dona beata meæ.
Non tentat quemquam noſtrûm inclementior eſca.
Nec variare cibos mica negotioli eſt.
Plebeijs fruimur, fruimur dulcedine ſumma.
Latranti ſtomacho quidlibet eſt volupe.
Latrantem ſequimur ſtomachum, quod mella, quod (omnes
Lautitias vincit, vincit & artifices.
Suauius alma ſitis puris ſe inuitat in vndis.
Quàm veſtra in toto nectare luxuries.
Aſt ſuaſor ſomni nobis ſudorq́; laborq́;.
O qualem vobis otia nulla dabunt.

Deſerat

Deserat ille licet, serò veniatq́; vocatus.
Non nos sollicitos lectulus asper habet.
Vel veniat, solitaq́; artus aspergine tangat.
Intereà occurrant quæ peragenda prius.
Non nobis abit inuitis, querulósue relinquit.
Cedit sponte locum, tempore deînde redit.
Laude senum naui iuuenes se crescere gaudent.
Spectariq́; volunt, deminuiq́; timent.
At sanctos, meritisq́; graues, annisq́; verendos
Iustus honor iuuenum tollit in astra senes.
O quanta illorum perfundunt gaudia mentes.
Dum memorant æui fortia facta sui.
Nec minus intereà macti præsentibus orsis,
Pertendunt senij vincere desidiam.
Dijs cari, pietate mera, & virtutibus almis,
Dilectiq́; suis, rite patres patriæ.
Tandem fatalis quandò se admouerit hora,
Et veniet tenebris mors adoperta caput.
Non illos tellure premunt obliuia iniqua.
Quin durant sæclis innumerabilibus.
Illustresq́; vehit sublimi gloria curru.
Et renouat famam sedula posteritas.
His tibi, care puer, fas est sine fraude potiri.
Care puer, magno de genitore sate.

Hanc tibi fortunam, hæc rerum pulcherrima fata
Spondeo, tu meritis fac potiare tuis.
Dixerat, atq; illam lustrauerat aureus ignis.
Et circùm radijs est redemita comam.
Tum verò Alcides totis ardere medullis
Viſus, & ingentes pectore flare animos.
Quamprimùm monitis ſe ſe vt præberet honestis.
Virtutiſq; iret totus in arbitrium.
Qualis vbi ſonipes generoſo ſemine cretus,
Ætatis robur ſentit ineſſe ſibi.
Nondùm fræna ſciens, nondùm ſeſſore notatus,
Ludere tantùm audax margine gramineo.
Si tuba terribilem ſonitum procul ære canoro
Sustulerit, fixis ſistitur auriculis.
Et pede pulſat humum, & vibratos contremit artus.
Et marte attonitus tangitur horriſono.
Tum memorat. ſi Diua mei, ſi tanta cupido est,
Et mouet ætatis te pia cura meæ.
Nulla mora est, te Diua ſequor, tibi dedicor vni.
Suſcipe tu vitæ lubrica lora meæ.
At Dea deterior vultu perstabat iniquo.
Et noua quærebat conſerere alloquia.
Ter conata manu iuuenem contingere, ter ſe
Subduxit toruo pænè ſupercilio.

Tandem

Tandem ſpreta abijt, ſyluaſq; intrauit opacas.
Ille bonæ Diuæ iunctus erat lateri.
Æternùmq; eius manſit mancepſq; comeſq;.
Eius erat viuus, mortuus eius erat.
Donec ſydereas fama penetrauit ad arces.
Nunc vbi felicem veſcitur ambroſiam.
Thoma meæ dulcis lepor, & tutella Camenæ.
Care puer, magni maxima cura patris.
Nunc mihi tu Alcides, nunc tu Jouis altera proles.
Tu quoq; mî fies nobilis hiſtoria.
Jam tibi formoſam molli lanugine malam
Cinget, non ætas tarda venire ſolet.
Jam te conſtituet diuiſa ambage viarum.
Sed tibi virtutis ſola terenda via eſt.
Nil mortale tibi, nil fas ſpectare caducum.
Herculis exemplo iam modò pone gradum.
Ardua quà cælo condit ſe ſemita, quo non
Aſpirant viles, frigida corda, animæ.
Te decet ante omnes pulchra florere iuuenta.
Ante omnes quandò te bona fata fouent.
Te decet & magnos patris ſperare triumphos.
O patris exemplis ingrediare viam.
Ille eſt virtutum norma, & certiſsima amuſsis.
Ante omnes ille eſt Amphitryoniadas.

Eheu

Eheu quàm crudæ planè immemor ille senectæ,
Immemor & morbos, immemor atque famem.
Horrendumque gelu, sæuos interque triones,
Immemor & mediæ tempora dira hyemis.
Dura expugnator circùm castella sub armis
Nunc sedet, & vasto fulmine saxa ruit.
Defecêre acresque viri, feruensque iuuentus.
Ille animis rigidum constabilit senium.
O Dij, qui magnos hominum curare labores,
Et iustis orsis ferre soletis opem.
Hoc nobis seruate caput, ne Sole remoto
Hoc tandem in tristes cuncta abeant tenebras.
Tu fili, factisque refer, meritisque parentem.
Non satis est claro sanguine te genitum.
Æquandum genus est virtutibus, i pede fausto.
Et tanto dignum te genitore proba.
Sed tibi post bellis aderit maturior ætas.
Tunc tu bella manu dexteriore petes.
Nunc te Musarum poscunt commercia, nunc tu
Redde aurem pulchris redde puer studijs.
Hîc etiam inuenies vestigia magna parentis.
Hîc etiam exemplis illius ire potes.
O quoties illum iuuenem miratus Apollo est,
Et petijt comites inter habere suos.

O quo

O quoties ſtupuêre Deæ, ſtupuêre Camœnæ.
Atq; ſuam ceſsit Calliopæa lyram.
Ille etiam vidit ſapientum templa ſerena.
Tunc etiam peperit nomen in orbe ſibi.
Nunc quoq; Muſarum memorem ſe iactat alumnū.
Mars illum quamuis ſanguinolentus habet.
Care puer, patris cupidus præcepta capeſſe.
Nil patris eſt tanti ſanctius imperio.
Nimirum ille nihil ducit te carius vno.
Deceptum partem non volet ille ſuam.
Maxima quæ cenſet, quæ præclariſsima credit,
Hæc iubet, his docilem te bone dede puer.
Seu pacem, ſeu bella geres, te Muſa ſequetur.
Muſa beat cælo, cætera mortis erunt.

Ex eiusdem Simonis Simonidæ Odarum libro * * *

THOMÆ ZAMOSCIO.

ODE.

STRO. I.

THoma, tu quidem nunc
Vesceris æui lenibus auris,
Matris vnicus lepor,
Mentem nouellam lusibus
Lactans, neq; dum sciens
Mœrores curamq; seueram,
Ætatis ignorantijs lætus satis.
Tuus intereà sator, in-
uictum sponte offerre periclis
Pectus audet, sanguineam procellam
Belli arcens patria à sua.

ANTISTRO. I.

Aurea vnde terras
Pax tegat, illi gloria surgat
Ad plagam volans poli.
Consuesce iam nunc acribus

Aurem

Aurem domitare di-
ctis, & te tanto genitore
Dignum incipe gerere. non Deorum tu audias
Soboles meliùs, patre præ hoc,
Nec virtutum excelsius olim
Culmen ascendas, neq; lætiorem
Fortunæ inuenias sinum.

EPOD. I.

Quamuis auorum non tibi origines,
Cum ipso nomine conditæ Polono
Desint, vetustatis propage ab vltima.
Sed genitor tuus
Luce tanta fulgurat ante cunctos,
Præstinxe lumina omnium vt
Credatur, nomenq; tulisse
Zamoscium ad cœli domos,
Mortalium sortem exuperans, propior
Dijs, superûm ingenia æmulus.
Age, fili, non tu speculum te ad
Splendidius potes exigere,
Quàm facta attentus seruans recolensq; pa-
Ast pulcherima rerum, (rentis.

STRO. II.

Fama quæ modò astris
Æquat, opaca nocte teguntur
Mox, iacentq́; proruta,
Nî obliuionis inuidæ
Nubem, memor auferat
Musa. huius si me quoq́; suasit
Arcum vocalem Parca verax tangere,
Alacer tibi ego ambrosiam hanc
Defundam non paupere dextra.
Plenior tu olim æui, animisq́; maior,
Splendores releges tuos.

ANTISTRO. II.

Limpidum per orbem
Cœli, oculum si mittere tentem,
Sole pulchrius nihil
Venabor, in sudo die.
Regum neq́; glorias
Inter, quicquam laude Bathorræ-
a, maius emicat meam circà chelym.
Columen fuit ille & apex
Summus rerum, quo auspice, virtus

Arduum cœlo caput efferebat,
Florebant cata pectora,

EPO. II.

Ibant feroces vulneribus viri,
Placebantq; sibi hostium cruore.
Tuus sed omnes inter exstabat pater,
Dans radios procul.
Qualis ornus eminet inter ima
Durneta. eum sibi vnicum
Rex florem decerpserat, ex quo
Suos honores necteret.
Nec falsus illo præsidio viguit.
Seu fera munera militi-
æ, seu pax iucunda vocabat,
Ille acies quatere armisono
Horrore, ille animos legum frænare lupatis,
Blandus, ferreus idem.

STRO. III.

Nomen ad tam amicum
Regis, humum prona venerare
Fronte. origo maxima
Vestri ex eo fluxit boni,

Vestra is decora omnia
In lucem produxit apertam.
Ignotus auri lateat incassúm nitor,
Manus artificis nisi so-
lers, ereptum carcere cæco,
Diuitum mensis, superûmq; templis,
Grato munere dedicet.

ANTIS. III,

Viueres saluta-
re ô iubar, ô diuine Bathoreû,
Non Polonia hostium
Ludus foret, non Dacia
Quondam tua sat potens,
Nunc fortunæ eheu pila, supre-
mis fluctuaret pressa tempestatibus.
Spoliata suo veluti
Nauis rectore, æquoris omnes
Fert minas, nudum latus, his, modò illis
Ægrè saucia cautibus.

EPO. III.

Spiris modò illam immanibus occupat
Draco ingens, auidê sacrum cruorem

Pastus

Pastus tuum, & funesta ricta latè hians.
Nec satis, impete
Se dedit nostra ad ferus vsque regna,
Gentesque vicinas ruit.
Haud impune, haud linquet inultam
Pestem hanc manus Zamoscia.
Hîc hîc mihi te, ô Die puer, memorem
Da, quibus ad mala tanta vi-
is ventum, vt lapsum similem post
Cautior effugias, neque tu-
am ætatem temerè affligas tanti ad scopuli ictũ.
Mærens vulneris oram

STRO. IV.

Istius retracto,
Nam macula hæc infestat amicos.
Quandò desinebat in
Terris diurnare ille Rex,
Dacis iuuenem suis
Rectorem linquebat, vt æuum
Positus tamen sub optimis tutoribus
Ageret, melior quöad æ-
tas maturis surgeret annis.

 Quan-

Quandiuq; istis stetit institutis,
Pulchrè Dacica res stetit.

ANTIS. IV.

Sed reiecta postquàm
Imperia, excussumq; senile
Est iugum, & licentia
Permissa percussoribus
Ferri, subitò in bonos
Custodes desæuijt ensis.
Hæc porta (prô nefas) data est tetris malis.
Velut aggeribus maria
Ruptis, terras impete pleno
Occupant, lætosq; boum labores
Vastis gurgitibus ferunt.

EPO. IV.

O quisquis istis consilijs modum
Præcinis, nimis ah nimis cruentum,
Non sentis, in tuum recasura hæc caput.
Iustitiæ vigil
Cuncta figit longè oculus, suisq;
Apprendit ansis noxios.
Dùm sanctis deflectere quæris

Fluxam

Fluxam iuuentam moribus,
Exoticis dumq; atteris opprobrijs,
Fortè tibi vt pateat via
Languentis vitam per inertem,
Tutior, ad saturandum animum
Seu dulcedine prædæ, sceptri siue rapina,
Idem vulnificus te

STRO. V.

Ensis abstulit. te-
cum cecidit lectissimus vnà
Flos virûm, patres boni,
Fulmenta Daciæ vltima,
Hausti exitio aspero.
Nam quis tum non credidit omnes
Neruos ruentis amputatos Daciæ?
Iterumq; iterumq; tuam
Appello blanda venia aurem,
O mei regis genus, ô Bathoreû.
Vtcunq; impia funera

ANTIS. V.

Excitata sunt abs
Te, tamen immunem fuerat par

Cædis

Cædis atq; sanguinis
Seruare fraterni manum.
Hoc fonte tibi malo -
rum venêre examina dira,
Facemq; Tisiphone adfuit quassans nigram,
Tua quæ furijs premeret
Fata infestis, stare loco nec,
Aut pati tutam sineret quietem.
Nam quisquis relegat tuæ

EPO. V.

Vitæ tot euripos, tot inania
Momenta, exilijq; cursum iniqui,
Rerumq; cœptarum refluxus irritos,
Dispiciat liqui -
dò, flagelli vltoris eam esse labem.
Tu Marte quamuis ferreo
Par primis victoribus ires,
Regumq; te alta affinitas
Bearet, istis præsidijs tamen ad
Exitia vsus es vltima,
Pænè ad vana insomnia felix.
Nunc tibi vix miseræ superest

Libera sola fugæ latebra, obscuriq́ recessus.
Dij recto pede fortu-

STRO. VI.

nam tuam reponant,
Et placidi tandem aspiciant te.
Nec tibi, o sacrum caput,
O debite altioribus
Orsis iuuenis, suo
Quem Roma insignem colit ostro,
Tractare clauum Daciæ ingratis datum.
Lachrymis oneror memorans,
Quàm te indigna morte peremptum
Prædo periurus rapidè inuolauit.
Quod monstrum prius execrer?

ANTIS. VI.

An dolos, quibus te
Perculit impurus veterator,
Prodiditq́ victimam
Innoxiam immiti lupo?
An punica iussa pel-
lacis, nexu regna vorantis
Viciniæ? an tuis peristi animis volens!

Potio-

Potiora minoribus au-
ſus mutare, & quæ nihil ad te
Attinent, aris melior ſacerdos,
Quàm regum ſolij capax.

EPO. VI.

Portum ſenectæ ſit mihi tangere
Illæſa rate, naufragam iuuentam
Turbo proteruus vexat inſano mari,
Nec ſapere aduenit,
Poſt niſi exhauſtis varia procella.
Ille optimos curſus tulit,
Ætatis per lubrica, qui ſe
Duci manu admiſit ſenum,
Modumq; fidis conſilijs tenuit.
Die puer, tibi nam labor
Hic ſumptus, te mens mea quærit.
Te licet & genus, & genitor,
Et gazæ, et decorent verũ incrementa ſuprema,
Nec felicior olim

STRO. VII.

Te ſit vnico alter,
Poſcere nil præſtantius à Dijs

Hanc

Hanc tamen pōtes vicem,
Mortalium vt germen ſumus,
Cunctis ſubeunda lex
Fati, ſerò vt patre carendum
Contingat hoc tibi, nec viros inter niſi
Poſitum, ſenij ipſe ſatur
Linquat, tuto & collocet æuo.
Jam tibi lætis ſpolijs onuſtus,
Vltus perfida nomina,

ANTIS. VII.

Aduenit, tibi iſta
Præmia, manſuros tibi honores
Congerens. viden' virum
Quantus præit famæ ſonor?
Viſas acies fugax,
Jlle olim atrox, non tulit hoſtis.
Alienaq; affectans, ſuis ægrè excidit.
Auidam cohibere ſitim,
Et menſuram noſcere habendi,
Magno opus dignū Hercule. ſæpe dum vmbras
Maiores inhiat procax

Epo.

Fames, dolosis ingemuit cibis,
Et mala crepuit patens inani.
Sed tecta, coniugemq; caram, prorsus vt
Nullo adit ambitu?
Vt Deûm supplex veneratur aras!
Accepta dona illis ferens,
Incertùm mansuetior, an for-
tior. secundent perpetìm,
Quicunq; Diui te sibi conciliant,
O iubar, ô columen meum,
O lux sola, inuicte Zamoscj.
Te te ego sæpe bona cumulans
Affabor laude, & natis Helicone corollis
Cingam tempora amica.